



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 9. Quid dicendum de Patrinis?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

deles præsertim Obstetrices, rectum baptizandi ritum probè teneant & servant. ait Rituale Roman. & hæ ad id graviter tenentur ex charitate & officio, ideoque ex Justitia propter pericula sæpè contingentia in partu. Porrò Pater & Mater prohibentur propriam prolem baptizare, nisi in articulo mortis & deficiente alio.

*Not.* Mortale est extra necessitatem baptizare sine solemnitate & extra Ecclesiam, præter Filium Regis aut Principis, *Clement de Bapt.* quia Ecclesia ob honorem Sacramenti, solemnitates graviter præcipit.

*Q. 9. Quid dicendum de Patrinis?*

*Resp. I.* Ex perpetua Ecclesiæ consuetudine vim legis habente, & manante ex Apostolica traditione debet sub mortali adhiheri, in Baptismo solemniter, susceptor, seu Patrinus, vel susceptrix, seu Matrinx. Unus autem tantum sive vir sive mulier, vel ad summum unus & una adhibeantur ex decreto. *Trid. sess. 24. c. 2.*

*Resp. II.* Patrini officium est. 1. Offerre Baptizandum Baptizanti. 2. Respondere pro Baptizando, si is per se nequeat. 3. Tenere illum dum baptizatur. 4. Levare de fonte. 5. Eum suscipere de manu baptizantis. 6. Tenetur sub mortali tum ob solemnem suam sponsonem in suscipiendo hoc officio, tum ex præcepto Ecclesiæ curare, ut Baptizatus in rebus fidei, & Doctrina Christiana rectè erudiatur, & Christianè vivat, si alii id non præstent

stent, exc. *Vos ante*, de consec. dist. 4. Ex variis Conciliis, ex Catechismo & Rituali Romano, & ab hac cura Paterna quam debet illius gerere, dicitur Patrinus, qui censetur quasi spiritualis Pater suscepti. Et ideo inducta est cognatio spiritualis. Hinc S. Thom. 3. p. q. 67. a. 8. ait: *Unusquisque obligatur ad exequendum officium, quod accepit. Dicitur est autem quod ille, qui suscipit aliquem de sacro fonte, assumit sibi officium Pædagogii; & ideo obligatur ad habendam curam de ipso, si necessitas immineret: sicut eo tempore & loco in quo Baptizati inter infideles nutriuntur. Sed ubi nutriuntur inter Catholicos Christianos, satis possunt ab hac cura excusari, presumendo quod à suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum modum, salutis spiritualium filiorum curam impendere.*

*Resp. III.* Ab officio Patrini excluduntur carentes rationis usu, non Baptizati, Hæretici, publicè criminosi, aut infames vel excommunicati, & ignorantes fidei rudimenta: quia hi non sunt idonei ad curam gerendam baptizati circa fidem ac mores; item Monachi & Abbates. c. 103. de consec. dist. 4. & generatim religiosi omnes, & sanctimoniales ex Rituali Rom. Graviter etiam prohibentur parentes propriam prolem suscipere, nisi in necessitate, c. 1. & 4. caus. 30. q. 1. nam alius debet esse Pater carnalis, alius spiritualis. Et quia baptizans contrahit spiritualem cognationem

Q3

cum

cum parentibus baptizati, quæ usum Matrimonii impediret. Quæ tamen non contrahitur, si id fiat in casu necessitatis.

Q. 10. *An potest Baptizari infans nondum natus, vel monstrum?*

Resp. I. Infans in utero materno ita conclusus, ut aquâ immediatè perfundi nequeat, non est capax Baptismi: quia non potest verè ablu. Nec sufficit, si corpus matris abluatur, quia infans est persona distincta à matre ac proinde eâ ablutâ non potest censeri verè ablutus. Quòd si per fistulam aut alio artificio possit Aqua ad illum perungere, juxta varios validè baptizari potest; quia talis infans est homo viator, cui debite applicari potest materia & forma: tamen Rituale Roman. dicit generatim: *nemo in utero matris clausus baptizari debet.*

Resp. II. Si infans nondum perfectè natus caput emiserit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea si vivus evaserit erit rebaptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod viralem indicet motum, in illo, si periculum impendat, baptizetur; & tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus: *si non es baptizatus, Ego te baptizo, in nomine Patris, &c.* ita Rituale Roman.

Resp. III. Si monstrum habeat plura capita, & plura pectora, tunc totidem sunt animæ, & homines distincti; unde singuli seorsim sunt bapti-